

TEODORO STUDITA

INNO A SAN NICOLA (810 c dC)

1. In lucida tua vita rutilans ut sol, conspicuus orbi miraculis factus es, beate Nicolae sacer ; tu Christi famulus fidelissimus, esto advocatus noster, celebrantium te defensor acerrime.

2, Divino linitum unguento, te Myrorum pontificem, cujus unguenta suaviter perflant mihi ex miraculis, quomodo te canam, peccatis foetens, o sancte Nicolae? Verum nardo precum perfunde meos mores, emollias mea verba, ut oleant suavitate mentis, teque digno hymno exornent, celebrantium te, defensor acerrime.

3. Totus orbis, ac si novum sidus effulgeat, in hac tua memoria, o sapiens, lumine perfusus festum agit, gaudet, gloriatur, mente suspiciens sacra prodigia. Agedum et nobis adesto coelitus, tuis precibus illustra, pelle voluptatum caliginem, tu digno hymno canentium te et celebrantium defensor acerrimus.

4. Vere decet: omnium hymnos tuum nomen habet: gratiam enim quum a Deo tuis virtutibus acquisieris, ades omnibus qui cum fide tuam enixe exorant presentiam; pericula enim solvis, injustos redarguis, ab interitu liberas morte damnatos, iudicium iras prodigiose compescens, o beate hierophanta, celebrantium te...

5. Tu vinculis constrictos a morte eripuisti saevissima, dum terribilis imperatori in somno apparuisti. Curnam tuam valuisset vocem non exaudire, sacer Nicolae? Tantam enim tu virtutem a Deo habes averruncandi pericula a fidelibus, te apud Deum invocantibus ut protectorem periclitantium, celebrantium...

6. Quis alius similis visus est adesse oppressis et jactatis inter discrimina, sicut tu olim, o beate Dei? Canunt enim te abacti juvenes in necem injustam, tres oves tuae. Alter pastor optimus, eruisti homines ex ore luporum, formidolosus illis, mirabilisque inventus inter filios hominum, celebrantium...

7. Non est ullus homo lugens, qui ad tuam non confugerit tutelam, deprecabundus donec a malis immunitatem reppererit. Tu statim exaudis propitius, sancte Nicolae ; saeva removes, simultates concilias, eruis ex abyso temporum desperatorum, ut te digne canant, celebrantium...

8. Flagrantior floribus renidet arca tuarum exuviarum, mystica respergis unguenta, rerum suaveolentium praeses. Quis enim in fide huc accedens, subito non repperit quod petierat? Sed nobis quoque da, suavi perfundi odore, qui procul ab illa sumus, in spiritualium robor gratiarum, ut digno te hymno ornemus, celebrantium...

9. Confers variis verisque modis divina beneficia. Si quis enim juxta imaginem tuam depictam cum fide tibi steterit se, habet quod vult. Tua enim copiosa est gratia, sancte Nicolae. Sed et nobis largire quae exoramus, tuorum gratia suffragiorum apud vere tui amantem Christum, ut digno te hymno canamus...

10. Supplicia vota sumens, non exaudire moraris, fax nunquam extincta, quicumque tibi cereos accenderit : huc enim usque temet tradidis his qui te cum ardore inquirunt. Praepotens est tua in ultimis efficacia, benigna tua invocatio ; amicus enim diceris Domini omnium, et eorum qui te hymnis prosequuntur, o Nicolae in Christo beate, et qui nunc celebrant te...

11. Hanc tibi peculiarem gratiam prae omnibus sanctis Christus largitus est, protegendi periclitantes : unde te patronum unusquisque exposcit, sancte Nicolae, qui in aerumnas incidit, qui exiliis torquetur, qui morti traducitur; omnibus enim alacriter auxiliaris, ut te digno hymno canant, celebrantium...

12. O tu qui noster es sequester, ad te de profundis vocem attollo, bone patrone, periclitanti mihi adesto, manum porrigens auxilii potentis, sancte Nicolae, et dira removens, quantum valeas filiis hominum ostende, ut nunc omnes te canant ob meam incolumitatem, celebrantium...

13. Ultra mundos inhabitans et cum angelis gaudens, memento mei apud Deum, qui tuus immerito melodus sum; da quoque gratiam omnibus tuum recolentibus diem memorandum, tu pacis arbiter, vindex lugentium, intercessor mundi, sacerdotum decus augustum, imperatorum commilito, celebrantium te defensor acerrime.